



1. Breithaupt /, Iosach. Justi. / Schodius,
ma de adoptionis spiritu, Hald
1730.
2. Chrysander / Wilh. Christ. Justi /
Diff. de Fundamento Exaltacionis
Christi hominis majestatice paud
merenarii, Rintely 1762.
3. — programma de Abstractio
ne Christiana, Rintely 1761.
4. — Diff. de Conubio Josephi ac
Marie vero, Helmstadt 1743.
5. — Diff. de Representatione Actio
nis, Helmstadt 1746.

FRAGMENTVM
THEOLOGIAE DOGMATICAЕ REVELATAЕ
DE HOMINE
IN STATV INTEGRO
AD DEI IMAGINEM CREATO

QVOD

ADIVVANTE DEO TER OPT. MAX.
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
ET NVTRITORE CLEMENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIIDERICO
HASSIAE LANDGRAVIO PRINCIPE HERSFELDIAE
COMITE CATIMELIBOCI DECIAE ZIEGEN-
HAINAE NIDDAE SCHAVENVRGI HANOVIAE
AC RELIQUA

PRAESIDE ET MODERATORE
GODOFREDO SCHWARZ

THEOL. DOCT. ET PROFESSORE PRIMARIO
CONSISTORII SACRI ASSESSORE ECCLESiarVM HASSO-SCHAVEN-
BVRCICARVM SVPERINTENDENTE
AD D. XXIV. OCTOBR. CIQ ID CC LXI.

H. L. Q. C.

TVEBITVR

CHRISTOPHORVS LVDOVICVS WISS
SCHMALGALDIENSIS.

RINTELII TYPIS Ioh. GODOFR. ENAX, A. T.

PERILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO VIRO
DOMINO
I. H. WAITZ

SERENISSIMI LANDGRAVII HASSO-CASSELLANI
CONSILIARIO ACTVALI INTIMO
CVRIAEC FISCI REDITVVMQVE PVBLICORVM
DIRECTORI SPECTATISSIMO
SECVL^I ERVDITI DECORI EXIMIO
LITERARVM ET LITERIS DEDITORVM
MAECENATI SVMMO

DEBITI CVLTVS ET OBSEQVII SVI
QVALECVNQVE MONVMENTVM
HOC

D. D. D.
CHRISTOPH. LVDOV. WISS.

*** *** ***

§. I.

HOMINEM, in metaphysicis physicisque, tanquam substantiam ex anima rationali & corpore organico, artissime inter se unitis, compositam, philosophi considerant. Et valde quidem ad theologiae scientiam adspirantibus suadendum est, velint, si penitorem non possint, mediocrem saltim, corporis humani e physicis notitiam, exactam vero &, quoad licet, consummatam animæ humanæ, secundum facultates, vires, & operationes suas naturales e psychologia, sibi comparare. (*)

n. 2. Nobis, in theologia revelata, homo quoad statum suum ad deum relatum, & salutarem ipsius cum deo conjunctionem, spectatur, eaque illius consideratio *anthropologia sacra* vocari solet. Viribus quidem integris, amicum dei amicissimumque deo, conditum esse; verum ab hac eum

*Homo phi-
losophice
spectatus.*

*Dicendo-
rum de ho-
mine in
theol. rev.
ratio &
ordo.*

(*) Consilii ratio potissimum est, quod ad summam theologi, imo vero ministri cuiusvis ecclesiastici, industriae & fidem vel maxime pertineat dexteritas, naturam a gratia accurate distinguendi; ne naturæ & gratiæ phænomena, magno auditorum suorum cum damno, temere confundat. Sed id necessaria cognitione definitus, quid per essentiam & vires hominis sibi de-relikti post lapsum, & quidem in nexus aliarum rerum, fieri possit, quid non? nunquam praestiterit. Necessariam vero illam cognitionem, qui praestare volet, assequi eam potuerit, quoad corpus e physicis, quoad animam in psychologicis, quoad *àngyias* supernaturales, indice scriptura sacra, e systemate theologiae revelatae. Ut magnas alias *psychologiae empiricae* potissimum, in theologia naturali, utilitates silentio nunc prætereamus.

A 2

eum integritate descivisse, intime corruptum, & a salutari
cum deo coniunctione extorrem factum esse, diserte Scri-
ptura sacra prius tradit, & quanta quanta est, queritur po-
sterius. Cui tantum abest, ut ratio refragaretur, ut etiam
primævam hominis integritatem e primis suis demonstret
principiis; magnam, cui genus humanum natura & usu
immersum est, infirmitatem & corruptionem intimam ex-
periendo agnoscat. (*)

De

(*) OVID. *Metam.* lib. I. fab. III. seqq.

Aurea prima sata est ætas, quæ, vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque tenebat.
Pœna metusque aberant cet. — — —

Subiit argentea proles,
Auro deteriore, fulvo pretiosior aere.

Successit ænea proles,
Sævior ingeniis, & ad horrida promptior arma,
Nec scelerata tamen. De duro est ultima ferro.
Protinus erupit venæ pejoris in ævum

Omne nefas, fugere pudor, verumque fidesque;
In quorum subiere locum fraudesque dolique,
Insidiaque & vis, & amor sceleratus habendi.

— — — Itum est in viscera terræ,
Quasque recondiderat, stygiisque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum,
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non sacer a genero, fratrum quoque gratia rara est.

Imminet exitio vir conjugis, illa: mariti:
Lurida terribiles miscent aconita novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Viæta jacet pietas, & virgo cæde madentes
Ultima cælestum terras Astræa reliquit.

De homine, in statu integro, ad imaginem dei creato.

§. 2.

Statum integratatis, in quo primus homo conditus fuit, *imaginem dei* in homine theologi, duce Scriptura sacra Col. 3, 10. vocant. Est nempe **IMAGO** generatim *conformatas alicujus cum alio: imago essentialis*, ex conformitate essentiae cum essentia alterius, *vel eadem numero* 2 Cor. 4, 4. Col. 1, 15. *vel eadem genere tantum*; ut filius quisque, propter eandem genere essentiam & naturam, parentum suorum *imago* dici potest, tametsi non recte, significationis hujus afferendæ causa, excitetur locus Gen. 5, 3: *imago vero accidentalis* est ex conformitate qualitatum mutabilium cum altero; quae postrema significatio hujus loci est. Dicta classica notamus Gen. 1, 26. 27. 28. Col. 3, 10. Eph. 4, 23. 24.

n. 2. E loco Gen. 1, 26. 27. id longe est clarissimum, *creatūm esse hominem utriusque sexus, marem & fēminam, & ab ipso deo trinuno, & ad imaginem dei trinuūs.* Nam, angelos in societatem creationis, & quidem nobilissimi in his terris opificii divini, adsciscere, valde precarium, si non plane absurdum est, certe cum interpretatione apostoli Iac. 3, 9. non facile conciliandum. Non videtur vox altera υπομνήση secundum similitudinem nostram apud Mosen v. 26. distinctionis & alicujus differentiæ, quam unius explicationis & propriis determinationis, gratia, addita esse; quod non solum v. 27. & Gen. 9, 6. eadem vox omittatur, sed etiam συνανύμως Jacobus ἐμάστη pro εἰκόνει, usurpet.

§. 3.

Quidquid ejus sit, qua in re proxime & proprie *imago illa dei*, ad quam, seu in qua primi homines creati fuere, constituenda sit, perplexa jam est quæstio; ex quo non solum Pelagiani cum suo systemate, sed & e nostris nonnulli cum commentationibus nimium operosis, nimium arbitriis, circulos nobis turbaverunt.

Quid imago in generare? & quod duplex?

Vtriusque sexus homo ad imaginem dei creatus doceatur.

Quid proxime & proprie imago dei in primo homine?

n. 2. At

*Non potest
imago illa
dei de es-
sentialibus
hominis
partibus
intelligi.*

n. 2. At primo, non potest imago illa dei de essentialibus hominis partibus, anima nimirum rationali & corpore organico, quoad substantiam consideratis, proprie & proxime intelligi. Nihil enim corpori humano, praestantissimæ licet inter omnia corpora hujus terræ animalia fabricæ, (*) cum divina natura commune est, nihil in tota structura & viribus tam privum & proprium, cuius causa ad divinæ naturæ exemplar dici poslit effictum. Sed neque, quod anima spiritualis naturæ, intellec̄tu & voluntate prædita, homo gaudet, imaginem ipsum dei retulisse recte statim & accurate dixeris. Nisi forte partim tanquam receptaculum inane hominem tibi imagineris, in quod anima rationalis, imago illa dei, congeta sit: partim non dicam sceleratissimos omnium, sed & ipsos cacodæmones, imaginem divinam gerere, eandemque ad sempiternas barathri infelicitates detrusos gesturos esse perpetuo, statuere velis. Verum deus ens longe sanctissimum est beatissimumque, nulla hinc iterum inter sceleratos aeternumque miseros & naturam divinam convenientia. Neque est, quod Gen. 9, 6. Jac. 3, 9. homo post lapsum adhuc dicatur ad imaginem dei conditus; id quod de natura hominis rationali plerique omnes sumunt. Precario enim illud sumitur, non probatur; quin potius, cum ad imaginem dei homo conditus sit, conditum ad beatitudinem, ut deus beatus est, efficitur. Vetus hinc deus, intuitu finis illius sui in creando homine, aliquem illorum vel manu Gen. 9, 6. vel lingua Jac. 3, 9. trucidari maledic; quod istud cum fine suo & excellencia hominis, ex eodem dei fine, e diametro repugnet. (**)

n. 3.

(*) OVID. *Metamorph. lib. I. v. 84. seqq.*

Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit cœlumque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

(**) Ac duobus his locis Gen. 9. & Jac. 3. ab interpretatione mere arbitraria vindicatis, efficitur, ut ea imaginis divinæ

n. 3. Sed neque *imago illa dei in status externi*, in quem primi homines repositi a deo fuerunt, *latissima conformatio-ne proprie & proxime est quaerenda*. Si enim ab arbitrariis hypothesisibus, veriora & firmiora consequendo, prudens abstineas, nihil vel in dominio rerum, quod homini in orbem terrarum, bruta in primis animantia, deus contulit, vel in paradisi, quem inhabitandum protoplastis dedit, amoenissimo situ & ubertate quam libet effusa, magnopere inveneris, quod non & hodie in multos cadat. An solos imaginis divinæ participes censueris? quos, si animus absit, *κληρονομία in κερπούσια recte convertere doctus*, nemo prudens vere felices amicosque dei veros prædicaverit. Atqui homo ad felicitatem conditus est, dum ad imaginem beatissimi numinis conderetur: et amicum dei fuisse omnes illæ eminentes, quibus ipsum supra res quascunque alias evenit, tantummodo declarabant prærogativæ. Cumulum enim bonorum externorum non nisi ut appendices verioris, ad quam creatus erat, felicitatis deum homini contulisse, legimus Gen. 1, 28. & 2, 15. Adde, si homines lapsi non essent, multiplicato genere suo, rerum illæ copiæ non debuissent non inter plures distribui: non debuissent non posteri domicilia sua in immittiores terræ partes, per temporum intervalla, transferre. Ergone partem hoc ipso aliquam imaginis divinæ amisissent?

§. 4.

pro anima spiritualis naturæ, intellectu & voluntate prædita, qua homo a deo editus est, significatio ἄγραφος omnino sit, & tantum e profanorum, quos vocant, scriptorum lacunis derivata. Ovid. Metam. lib. I. v. 78.

Natus homo est, sive hunc divino semine fecit

Ille opifex rerum, mundi melioris origo:

Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto

Aethere, cognati refinebat semina cœli;

Quam satus Iapeto, mistam fluvialibus undis,

Fixit in effigiem moderantum cuncta deorum.

Nec potest
in status ho-
minis ex-
terni latis-
sima con-
formatio-ne
quari.

Quoniam potius imago dei in similitudine hominis quoad perfectiones morales cum perfectionibus divinis moralibus constitutus.

ad beatitudines conditum hominum.

Restat hinc secundo, ut IMAGINEM DEI, in qua primi homines creati fuerunt, in similitudine hominis quoad perfectiones morales cum perfectionibus divinis moralibus constitutus. Ac 1) quoniam beatus est deus, hominem etiam ad beatitudinem conditum esse, colligimus; quod ipsum ex infinita dei bonitate primum est evincere, recteque assecutus est auctor, quisquis fuit, Sap. 2, 23. Quod si ad beatitudinem conditus homo fuit, sanctum etiam 2) conditum efficitur, non solum quia deus sanctus est, sed etiam quod sine sanctitate, posita in sincero studio eorum, quae bona, secundum omnia recti justique genera sunt, inque fuga oppositorum quorumvis malorum, nulla unquam spiritualis natura vere beata evadere potest. Conditum enim vero secundum deum hominem conditum omnino esse sanctum, διαφέρει τε Scriptura Ephes. 4, 24. nec posse quemquam ad salutarem cum deo conjunctionem sine sanctitatis pervenire studio, eadem iterum testis est Scriptura Hebr. 12, 14. Cui apprime suffragatur ratio, ad felicitatem adspirantibus inculcans: *perficie te ipsum*, utque perficias, studendum virtuti, non solum juris naturalis sed etiam ethici. At, si sanctum oportuit esse hominem, in imagine dei conditum, sufficiente profecto 3) dei cuique ipsius, in relatione ad deum & salutarem sui cum deo conjunctionem, atque adeo omnium officiorum erga deum, erga se & alios, cognitione imbutum fuisse oportuit. Vera enim sanctitas, nec cæca est, nec ἐγελοθρόσκει; sed ad veritatis amissum omnes actiones suas omniaque sua studia componit. Et certe apostolus, dum hominem, secundum deum conditum in justitia & sanctitate, nobis iterum injungit induendum, addit l.c. Eph. 4, 24. καὶ στοῖητι τῆς ἀληθείας i. e. στοῖητι, η ἐπινέγυημα τῆς ἀληθείας, & expressius ἐπίγνωσιν consequendam nobis prescribit hominis novi, ἐπίγνωσιν, inquam, κατ' εὐκόνα τὲ κλή-

σαντος

σάντος ἀυτοῦ Col. 3, 10. Denique cum nec propositum sanctum, nec cognitio boni malique, quamlibet vera certaque, sine viribus regendi facultates animi inferiores, opprimendi præcipue motus primos inordinatos, sedandique præter opinionem e terminis suis egressos, ad studium sufficiat sanctitatis; quoniam tamen ad sanctitatem creatus est homo, ut sanctus viveret re vera, viribus 4) instrutus fuerit necesse est, quibus facultates inferiores regeret, affectusque imprimis imperio rectæ rationis subjiceret. Cujus in facultates inferiores, appetitum maxime & aversationem sensitivam, dominii, quo protoplasti ornati fuere, luculentum argumentum est, quod Moses, in illa narratio-
nis suæ brevitate, prohibet, nudos convixisse, neque tamen cupidinis, cuius ipsos puderet, tentatos fuisse stimulis Gen.
2, 25. coll. cap. 3, 7.

n. 2. Ex quibus jam perspici potest, verissima esse & certissima, quæ theologi nostri de imagine dei in primo homine docent: constituisse nimirum illam 1) ratione intellectus in vera, sufficiente & viva cognitione eorum omnium, quæ ad salutarem sui cum deo coniunctionem, non solum tuendam, sed arctius etiam constabiliendam faciebant Col. 3, 10: 2) ratione voluntatis in spontanea, promta & alaci inclinatione obsequendi dictaminibus quibusque intellectus Ephes. 4, 24: 3) ratione appetitus & aversationis sensitivæ denique in amica hujus cum judiciis intellectus illuminati & decretis sanctæ voluntatis concordia, sine obluetione, sine torpore Gen. 2, 25. Et hanc reætitudinem primi hominis esse colligimus, quam celebrat auctor libri Koheleth cap. 7, 30.

§. 5.

Ad imaginem dei *immortalitas* quoque *corporis* referatur, non quidem *absoluta*, ut homo *non potuerit mori*, quod neque metaphysice, nec physice, nec moraliter potest defendi; sed *hypothetica*, ut etiam *potuisset non mori*, siquidem in statu innocentiae persistisset. Sententia probatur, quod

B

1) mors

*Imaginis
divinæ in
homine na-
tura & in-
doles com-
pendio re-
præsenta-
tur.*

*Immortaliti-
tas corporis
an pars i-
maginis di-
vinæ in pri-*

*mis homi-
nibus fuit?*

1) mors in pœnam nonnisi violandæ ab homine legis illius divinæ Gen. 2, 17. & 3, 3. constituta fuit: ergo absuit ab homine mors lege nondum violata. Verum distinguunt alii inter mortem tanquam debitum naturæ & tanquam debitum pœnae; veluti iris phænomenon quidem naturæ est, sed & phænomenon gratiæ sifstur Gen. 9, 13-17. Ut igitur unius rei plures possunt esse fines, sic plures etiam respetus. Quod 2) mors in pœnam violatæ demum ab homine legis irrogata ei fuit Gen. 3, 19. non ergo morti obnoxius erat homo, antequam legem perfregisset. Distinguunt alii iterum inter mortem præcise & quoad tristia simul adjuncta, quæ sunt acerbitates & terrores mortis, sumtam; veluti de nuditatis conscientia, præcise sumta, verba etiam Gen. 2, 25. capienda sunt, de nuditatis conscientia cum indignis adjunctis, quæ sunt cupiditates inordinatae acrisque prolectatae, verba Gen. 3, 7-10. Quod 3) authenticæ Mosis mentem explicit Paulus Rom. 5, 12. seqq. at Paulum nemo non de morte naturali, quam primus homo sibi omnibusque suis posteris, legem dei perrumpendo, contraxit, intelligendum censet. Nihil vero in universa oratione Paulina adesse, ajunt alii, quod non de morte potius spirituali primario, deinde vero naturali, quatenus est debitum pœnae cum adjunctis suis durioribus, intelligi queat & debeat. Quod 4) damnata fit gravissimo decreto concilii Milevitani ao. 416. celebrati sententia, qua hominem in statu etiam innocentia mortalitatis necessitatibus subiicit. (*) Abusum, respondent alii, sententiae Pelagianæ in animo habuisse damnantes, non orthodoxum illius usum potuisse anathemate ferire. Quis ejus usus orthodoxus, rogas?

Fictio-

(*) Concilii verba, contra Pelagium & Cælestium, bona fide tradimus: *Placuit, ut quicunque dicit Adam, primum hominem, mortalem factum ita, ut, siue peccaret siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.*

Fictionibus, ajunt, a) immortalitatis patronorum debitus modus ponitur: cuniculi b) deinde subruuntur illorum, qui tantum spiritualem & æternam mortem, ex violatione legis divinae contraëtam, extenuant revera, quantum exaggerant mortem naturalem (*): vera denique c) ex æquanimia mortis naturalis toleratione, quæ tranquilla & lata subnixa ambulat conscientia, animi humani nobilitas afferitur. Cum gentes, pergunt d), a veri dei cultu alienæ, tantum abest ut mortem formidandam, ut etiam annis, & nescio qua meritorum gloria, saturis maxime appetendam existimarint; procul sit a religione revelata, ut mortem naturalem maxime terribilem terribilium formarum omnium vel homini integro fingat fuisse. Sir. 41, 5-7. (**). Disputatum est supe-

(*) Nota est FAVSTI Socini, in *Responsonibus ad argumenta defensionem Franc. Puccii, & Ιωνιψων* illius sententia, quam etiam amplexus est IOH. LOCKIVS in tractatu, secundum gallicam translationem, *Que la Religion Chretienne est tres raisonnable*. Sententia summa est: Homines, non magis primum quam posteros omnes post ipsum, natura sua mortales, peccatis id præterea efficer proæticis, ut æterna morte a deo puniri mereantur: id est, moriantur sine omni spe resurrectionis, in nihilum quoad animam & corpus simul redeuntes. Pios vero, nec minus ad frugem redeuentes peccatores, hoc manere divinitus eis constitutum præmium, ut olim a mortuis in vitam revocentur, æternumque vivant beati. Quantum itaque pœnam mortis naturalis exaggerant, tantum mortem spiritualem, idolum liberi arbitrii in tuto collocaturi, atque æternam, secundum genuinos conceptus, testimoniis Scripturæ S. innixos, extenuant atque enervant.

(**) Lege mihi CICERONEM de senectute differentem, ubi ad finem jamjam accedit commentans: & cum tantum

superioribus annis de momento quæstionis, acrius multo, quam magni nominis theologi NIC. HVNNIUS & I. ANDR. QVENSTEDT id sibi repræsentarunt olim. Audiamus Quenstedtum ex Hunnio commentantem, *Theol. didacticæ polemicae* p. I. cap. V. secl. I. th. II. Ad articulos non-fundamentales, inquit, refert D. Hunnius l. c. §. 65. dogma de perpetua angelorum quorundam rejectione; de immortalitate hominis ante lapsum; de Antiebristo; de irremissibilitate peccati in Spiritum sanctum; de libertate christiana in ritibus etc. Hæc five ignorantur, five negentur, per se nihil damni adferunt fidei; siquidem nullam causam fidei, aut dogma fundamentale, per sui negationem tollunt. Vide modestum quoque iudicium suum interponentem, immortalitatem licet hominis defendantem integri, ven. D. I. FR. BAHRDTIVM in statione, quæ inscribitur: *Schrift- und Vernunftmäßige Beweise, daß die Sünde die eigentliche Ursache des Todes seyn.* edit. secunda.

§. 6.

*Accessiones
imaginis
divinae in
primo ho-
mine super-
naturales
et eminen-
tes.*

Homine in primævo statu suo innocenter agente & sancte, dubium non est, quin delicium dei fuerit, magna- que ipsem et benignissimi favoris divini, recteque factorum conscientia, voluptate fructus sit, beatissimeque vixerit. Accessit, quod eum deus intimiore commercio, suo- que dignabatur alloquo Gen. 2, 15 - 22. quod cum fieret, non est a fide alienum, quin cognitione illum magis ma- gisque

in homine, a veris contempnendi mortem naturalem præfidiis exuto & nudo, cognoveris animum, religio- nem revelatam commendare potius memineris, quam accusare. *Quod si non sumus, inquit, immortales futuri;* tamen extingui homini suo tempore optabile est. *Nam ha- bet natura ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum.* Senectus autem peractio ætatis est, tanquam fabula; cuius defatigationem fugere debemus, præsertim adjuncta satiate. Finit in hæc verba Tullius.

gisque imbuereit & mysteriorum divinitatis, & earum quoque rerum, quæ ad hanc simul vitam tranquille & suaviter agendum faciunt. Hominem denique in statu, quod ajunt, merorum sive purorum naturalium, per abstractionem intellectus, considerare, deinde in statu, ob collatam imaginem divinam, quam gerebat, gratia spectare, adeo nihil per se habet viti, ut etiam ad genuinam imaginis divinae notionem eruendam afferendamque, plurimum conferre possit. (*) At enim, cum hac abstractione Pelagiani, & pelagianantes abutantur ad infitiandum, spectante imaginem divinam ad complementum virium, homini simul & semel, cum ceterarum virium complexu, concretarum, atque adeo ad infitiandum, *imaginem dei homini naturalem fuisse*, quam etiam ad posteros, si lapsus non esset, propagaturus erat Gen. 1, 28. sicuti lapsus & corruptus ad omnes suos posteros propagavit contractam corruptionem naturalem Eph. 2, 2. Rom. 5, 12. ut rationes suas a pelagianantium decipulis fejungant, merito ab ea *merorum naturalium abstractione* theologi fese abstinent orthodoxi.

*Ipsa vero i-
mago de,
homini con-
creata, na-
turalis re-
Etius cense-
tur.*

(*) Vide rationes sic suas subducentem JOHANNEM NO-
STRUM HENICHIVM, in *Dissertatione theologica, De statu
merorum naturalium cet.*

NOBILISSIMO ORNATISSIMOQUE
RESPONDENTI SVO
S. P. D.
PRAESES.

Visum tibi est, ex umbra colloquiorum nostrorum, in-
tra privatos collegii parietes singulis hebdomadibus
institutorum adhuc, cum definito quodam dissertationis
argumento in lucem prodire academicam. Repressissim,
pro

pro moribus meis, conatus tuos, si ardentere cognovissem, quam ingenuos: si, non tam meditatos illos esse, animadvertissem, quam in aleam commissos et casum dubium. At enim latinae, graecae inque primis hebraeae linguae haud proletariis ad nos accessisti instructus rudimentis; id quod ad laudem scholae vestrae patriae, quae Schmalcaldiae viget, simul dictum velim, docentiumque in ea praedicationem: in academia autem nostra propae-deumatis philosophiae & philologiae cupidissime studiasti imbui: sic denique in adsequenda ancillantium nobis disciplinarum elaborasti perspicientia, ut nunquam toto illo, quod apud nos exegisti, biennio ex animo dimitteres theologicas, quibus te addixisti, scientias. Verendum hinc mihi non erat, ut nimis praeproperas studiorum tuorum merces extrudere in publicam cathedram voluisse videaris. Tu vero gnавiter ad metam decurrere perge, sic ut nunquam e memoria tibi excidat, quod ab ore & consiliis meis pendere non defugientibus, iterum saepeque, soleo inculcare. Scilicet! theologiam nostram, quatenus ad salutarem cum deo conjunctionem nos dicit, habitum esse θεόδολος, piis precibus veritatumque cognitarum praxi, in agendo & patiendo, a divina bonitate obtinendum. Quatenus vero theologia nostra facilitate veritates reuelatas aliis tradendi, traditas confirmandi & contra insultus τῶν ἀντιπάλων defendendi, nos instruit, habitum esse ἐπίκηρος φιλοσοφίας; quae industria & studium vehemens, neque tamen non jucundum, si legitime adhibeatur, meditatio audit. Meditationis vero in theologiae studio provehendae & quasi fœcundanda, usus mihi est monere, certiora remedia nulla dari, quam philosophicas scientias & philologiae, quam late patet, intelligentiam: usus est dicere, philosophiam & philologiam alas duas corporis esse nostri, quarum alterutra destitutus theologus non magis humo sece attollere possit, quam praecisis seu alis, seu ala, avis evolare. Naturae enim & gratiae phaenomena

accu-

accurate discernere γνῶσις theologus debet; naturam hinc e philosophicis scientiis, gratiam e scripturae sacrae oraculis, penitus cognoscere. Sed lecturus, ut decet, scripturas sacras & interpretaturus cum αποδείξει ἐμπειρικῇ, philologia, artibusque & disciplinis, a quibus nervos ea fuos accipit & verum colorem, nequit carere. Quibus si porro stare voles, ORNATISSIME WISS, consiliis, eorumque ad amulum studiorum rationes exigere; fiet, ut, quam nobis ingenio, diligentia & exercitationis assiduitate injecisti, spem non decipias: fiet, vt max. rev. PATRIS, quem deus tuo familiaeque vestrae praefidio quam diutissime sospitet, nostrumque omnium, qui honestissime tibi cupimus, animum recrees. Atque, ut gaudium nostrum evadat solidum, ardorem illum tuum ingenuum in literis theologicis proficiendi, moribus quoque, quod fecisti, ne unquam defieris ornare, cum moribus compositis ne unquam intermisericordia pietatem christianam conjungere, & tanquam pulcherrimum, virtute spiritus sancti, tibi circumponere ornamentum; quo si careas, vanus olim aliquando sis & calamitosus. Vale, & me mutuo ama. Scrib. Rintelii die 15. Octobr. clo lo CC LXI.

Mens mea lātitiam jam magnam sentit, AMICE.
 Dum scandis cathedram tua montras arma Minerva,
 Exsilit & tecum Doctorum leta ceterua,
 Audit doctrinam, TE laudans maestat honore.
 Hinc quid ego laudis nitidissima carmina scribo?
 Quum doctus TIBI quisque lubens encomia donet.
 Ad Jovam tamen ut pia adhuc suspiria mittam,
 Exigit & fervens & candidus ardor amoris.
 Ergo tuis ceptis benedicere pergit Jova,
 Ut fructus TIBI dent multos. Sic optat amicus.

CAROL. CHRISTIAN. SCHEHMEL,

s. s. THEOL. C. & Opponens.

Vudit

Vidit de cathedra WISSVM sacrata celebri

Relligio causam strenue obire suam.

Vidit, & arrectas nobis edixit in aures:

O juvenum, juvenum chara corona mihi!

Sic bene vos verum doctos ostendite tota

In vita: sic res salua futura mea est.

Praenobilissimo contubernali suo, amico
charissimo C. L. WISS lubens ap-
plaudensque apposuit

IOH. LVDOLFVS SCHWARZ,
LL. AA. & THEOL. STVD.

Eximium specimen nobis das, suavis AMICE,

Testatumque palam non sine laude facis:

Quies vigil in nostro studiis Helicone vacasti,

Quantaque per cupidis polliceare tui.

Gratulor ingenuos ausus, & ut alma Pronoea

Porro TIBI faveat, supplice mente precor.

TE vero, sarcum tectumque perenniter, oro,

Dulce mihi serves fædus amicitiae.

Ita fraterni affectus contestandi ergo
laetus applaudebat


EBERH. WILHELMVS HABICHT,
Smalcaldiensis.



01 A 6542



Vd17 H183.



FRAGMENTVM
THEOLOGIAE DOGMATICAЕ REVELATAE
DE HOMINE
IN STATV INTEGRO
AD DEI IMAGINEM CREATO

QVOD

ADIVVANTE DEO TER OPT. MAX.
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
ET NVTRITORE CLEMENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO
HASSIAE LANDGRAVIO PRINCIPE HERSFELDIAE
COMITE CATIMELIBOCI DECIAE ZIEGEN-
HAINAE NIDDAE SCHAVENBURGI HANOVIAE
AC RELIQUA

PRAESIDE ET MODERATORE
GODOFREDO SCHWARZ

THEOL. DOCT. ET PROFESSORE PRIMARIO
CONSISTORII SACRI ASSESSORE ECCLESIARVM HASSO-SCHAVEN-
BVRGICARVM SVPERINTENDENTE
AD D. XXIV. OCTOBR. CIO IO CC LXI.

H. L. Q. C.

TVEBITVR

CHRISTOPHORVS LVDOVICVS WISS
SCHMALCALDIENSIS.

RINTELII TYPIS Ioh. GODOFR. ENAX, A. T.

B.I.G.